

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0252

0250

0256

0246

0261

0241

0301

0201

0351

0151

0751

240

mundo ad diem solennem paschae Jerosolymam, multi tamen non propter Jesum tantum, sed ut miraculum ignis coelestis in vigilia paschae cernerent, venerunt, et prodigium in die ascensionis Domini in monte Oliveti, sicut patet supra fol. 131 et fol. 149 A. Divina etiam tunc virtus manifestis prodigiis locum illum magnificare non desit multiplicibus signis. Unde anno Domini DLXX. monachus Bernhardus, non ille Claraevallensis, sed alius sanctus, vedit ignem saepe dictum de coelo descendere in templum dominici sepulchri, qui multa de eo scribit in suo peregrinario. Magni autem tunc reputabantur Christiani propter ignem illum paschalem. Ostendebatur etiam tunc sancta crux et reliquae reliquiae a sancta Helena ibi reconditae. Unde legitur S. Mariam Aegyptiacam adhuc peccatricem cum aliis in Jerusalem adscendisse ad videndum sanctam crucem, sed admissa non fuit, quousque emendationem vitae vovit, ut patet in ejus Legenda.

Inter praefatos duos imperatores, Constantium et Heraclium, regni gubernacula suscepit Julianus Apostata anno 363. Hic invidit gloriae Christi et Christianorum, propter quod Judaeos omnes congregavit, et expensis datis Jerosolymam misit, ut in area Arnae templum aedificarent in praejudicium gloriosi templi dominici sepulchri, quod per universum mundum magnificabatur; sed cum quanta confusione ab opere cessare coacti fuerunt patet supra fol. 279. clare.

Depulsa haeresi Ariana ab ecclesia Jerosolymitana, cum jam universi fideles copiose ad sepulchrum Domini defluerent, ac jam pax et sanitas floreret et in his beatissimus Jeronymus Bethlehemi degeret, aliud exortum est in ecclesia Jerosolymitana malum, schisma quoddam pro jurisdictione. Nam sanctus episcopus Salaminis Cypri, Epiphanius, veniens Jerusalem cum in templo sancti sepulchri disputaret contra haeresin Origenis, indignatus episcopus Joannes Jerosolymitanus et omnes clerici ejus silere jussérunt de hac materia sanctum virum; eo autem in suum redeunte locum prohibuit Johannes episcopus, ne pro sacerdotibus haberentur, qui ab Epiphano fuissent ordinati, et omnes contra sanctos excommunicavit, unde accidit, ut solis haereticis pateret ingressus ad dominicum sepulchrum et ad sanctum osculum crucis. De

Ende

Anfang

